

Halofan-
thos vnde
dictum.

propter necessariò iam sequitur Ha-
los anthos æquè metaphoricè mari-
num florem appellandum esse, ac a-
lia maris purgamèta. Animaduerten-
tes enim veteres, medicamentũ hoc,
non alio modo, fluctibus in littus at-
que marina stagna eijci, quàm etiam
reliqua maris purgamenta, atq; efflo-
rescentias (vt ita loquar) metaphori-
cè flores appellatas, eidem marini flo-
ris nomen indiderunt, opinantes ma-
rini purgamenti genus quoddam ef-
se. Hæc opinio multa secula durauit,
donec longè post Plinium atq; Ara-
bes medicos serior ætas multorũ an-
norum experientia cognouit, huius-
modi medicamen marinis paludibus
innatans balænarum, id est, maxima-
rum maris belluarũ, quas generis vo-
cabulo Cete vel Cetos vocant, geni-
tale semen esse: quod à masculino Ceto
emissum foeminæ locos subterfugit,
aut ex ijsdem post coitum rursus (vt
fit) elabitur. Postquam itaq; ad huius
medi-

Quòd sit se-
men balæ-
narum.